QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iovis, III. Decembris,

M. IACOBO COVSINOT. DOCTORE MEDICO PARISIENSI, & Professore Regio, Præside.

An vt Corporis, sic Animi morbis Medicina medetur?

HOMO Naturæ amasius & corculum, duabus dissimillimæ sortis partibus animâ & corpore componitur. Corpus fluxum, caducum, morborum insultibus tam internis, quàm externis expositum, temperatissimum tamen, optiméque, & convenientissimè conformatum. Anima divina, immaterialis, immortalis, rationis & intelligentiæ sola particeps, disciplinarum omnium capax, tametsi cùm primùm in corpus infunditur, (infunditur autem absolutâ τυπώσει, à quo tempore fœtum perdere, vel maternæ salutis nonnullâ spe, homicidium est, legibus Politicis, Medicis, & Hippocratico Sacramento vetitum) cunctarum expers est, instar tabulæ in qua nihil adhuc exaratum fuit. Habet vtraque pars suos affectus. Corpus morbos omnis generis, similares vnam ad intemperiem referendos, cùm formæ, aut materiæ nulli sint, organicos, communes: acutos, chronicos: mites, malignos: sporadicos, populares, qui à Medicis, non propter Therapiam observantur, cùm nihil malignitatis à cælo mutuentur, ne verè pestilentes quidem, qui vt à vulgari putredine ortum ducunt, sic crebrâ venæ sectione, & apertis medicamentis, specificis nullis oppugnandi. Anima non minùs ægrotat in furore, in delirio, amore, melancholia, luctu, irâ, & id genus, tum perturbationibus, tum abalienationibus. Hoc tamen discrimen est, quod Animæ morbi graviores δυσδιάγνωςτοι, δυσθεράπευτοι. Vnde hoc? An quia gratus est nonnunquam ægrotantibus suus error? ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος. An quia ægrotare se non percipiunt, opémque recusant Medicam? Pessimum verò morbi genus, & laborantis animi τεκμήριον. Quibus causa doloris adest, &

dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. Morbi animæ à contagione corporis ortum ducunt, imò & mores ab eiusdem temperamento, propterea nequaquam inanis est Physiognomonia, nec eleganti Medico respuenda.

VTRIQVE morborum generi feliciter medebitur, qui nihil eorum quæ secundùm Naturam sunt, nihil eorum quę præter, ignorabit. Sed ἑρμηνεῖον à prioribus. Φύσις τοῦ σώματος ἀρχὴ τοῦ ἐν ἰατρικῇ λόγου: quidni & τῆς ψυχῆς? quâ ignoratâ necesse est multa inter medendum vtilia ignorari. Elementa corporis remotiora sunt, non commentitia Chymistarum, Sal, Sulphur, Mercurius, sed vulgata quatuor. Proxima, humores vt qualitatibus, sic sedibus, & viribus distincti. Legitima elementorum permistio temperies est, quæ εὔκρατος nusquam reperitur. Ex humoribus partes ipsæ spermaticæ quæ frigidiores, carnosæ, similares, organicæ, totum denique coagmentatur. Sed accuratam corporis notitiam consequi impossibile est, nisi per analysin anatomicam. Insaniebat haud dubiè Paracelsus, cùm Medicos ab anatomico studio dehortabatur, & ridiculam nescio quam anatomen, in eius locum substituere tentabat, à quo pestiferæ doctrinæ veneno vt reliquis impuri nebulonis delirijs, me auctore veræ Medicinæ amatores studiosè sibi cauebunt. At enimuero, hærentne Medici in sola corporis perlustratione, nec de anima philosophantur? Estne physiologia medica solius corporis? Nequaquam verò, sed licet eius essentiam vtpote ἄγνωστον, prætermittant, functiones tamen accuratè peruestigant, ex quibus colligunt facultates: facultatum natura non adeo obscura esse potest ei, qui ad functiones attenderit, quæ à facultatibus profluunt, non secus atque anima facultatum fons. Facultatem propterea rectè definiero, qualitatem operandi principium, si mauis, αἰτίαν τινὰ δραστικὴν ἢ ποιητικήν. Eousque progrediuntur in explicanda anima Medici, nec Galeno crimini vertere licet, quòd ignotam sibi animæ substantiam professus sit: substantiæ rerum nos latent. Ille ipse tamen æquè bene animæ naturam aperuit, & expressit, quàm Aristoteles, qui definire tentavit, & vocabulorum novitate atque obscuritate, quasi atramento sepiæ, fortasse de industria, sententiam suam obvelavit.

FELICITAS humana sanitas est, aut sine prospera valetudine consistere nequit, modò sanitatis nomine mens sana in corpore sano intelligatur. Hanc incorruptam tueri vni Medicinæ datum est, quemadmodum & imminentem fati necessitatem retardare, vitam prorogare, attrita & imminuta vitæ principia fovere, augere, resarcire. Nolim tamen quemquam esse tam credulum, vt Ægyptii Sophistæ, vel similis alterius impostoris pollicitationibus fidem habeat, & vel ἀθανασίαν, vel ἀγηρασίαν speret. Velimus nolimus, labuntur anni fugientes cursu præcipiti, subeunt morbi, tristisque senectus, & labor & duræ inclementia mortis. Omnes eodem cogimur, seriùs ocyùs. Ocyùs si valetudinis artem negligamus, tardiùs si servemus. Et præcepta quidem pauca sunt, ἀκορεῖν τροφῆς, ἀοκνεῖν πόνων, σπέρματος συντήρησις. Quisquis vel vno eorum peccat, dubiam illico sanitatem suam facit, vt maximè mira sit cæcitas atque amentia mortalium, qui rem adeo caram mirificè contemnunt, & vel gula,

vel inertiâ, vel venere (nunquam non intempestivâ) immaturam sibi mortem accelerant. Plures occidit gula quàm gladius: faciliùs crediderim homines vivacitatem consecuturos, si temperanter & sobriè degant, quàm si Cyrnios Corsicæ incolas imitētur, quos μακροβίους existimavere Veteres, quòd melle assiduè vterentur. Atque his legibus quisquis obtemperabit, non corporis modò, sed & animi sanitatem sibi comparabit. Nam corpus onustum hesternis vitiis, animum quoque prægravat ipsum, atque affigit humi divinæ particulam auræ. Verumtamen hæc sanitatis artifici non sunt satis, nisi peculiarem animæ curam suscipiat, & pathemata (quibus tanquam levioribus morbis sanitas animæ convellitur) moderetur : evellere, ac radicitus extirpare, non modò non possibile est, sed ne optandum quidem.

ALTERVM Medici officium ad propulsandos tam animi, quàm corporis morbos pertinet. Hos nisi accuratè cognitos nunquam aggreditur, non intellecti nulla est curatio morbi. Prognosis æquè necessaria, quæ & Medicum maximè admirabilem reddit, & ab impendentibus liberat calumniis, nec eum patitur deploratis . ac morbo victis, manum adhibere. Non negamus tamen, quin vnus quispiam è multis millibus nonnunquam reperiatur, qui desertus à Medicis ἐκ παραδόξου convalescat. Ad curationem quod attinet, accommodatis remediis, curabiles vincuntur morbi, sed excogitandi remedii methodus multiplex hactenus vsurpata fuit, nec vna tentata est via. Placebant Methodicis Communitates quædam. Placebat Empiricis Observatio. Chymici ad Vniversale quoddam remedium morbis omnibus peræquè convenienss adspirant. Vana omnia. Instrumenta duo sunt, in eam rem nata, ἔνδειξις, ἐμπειρία, indicatio vnica est, Contraria Contrariis curari, morbos, & eorum causas cum suo satellitio ablationem sui postulare. Novator Paracelsus, homo temulentus, ἄμουσος καὶ ἀφιλόσοφος, homines tam bardos ac stipites existimavit, vt ipsis persuadere posset morbos similibus pelli. Experientia licèt fallax, per obscuras Naturæ tenebras, vtcumque viam regit. His fultus præsidiis, legitimus medendi Artifex, in Hippocratis & Galeni doctrina potiùs, quàm Theophrasti Scholâ, aut fornace Chymicâ eruditus, in quamcunque plagam devenerit, ægrotantibus suppetias ferre non dubitabit, & remedia Diætetica, Pharmaceutica , Chirurgica, quæ convenire arbitrabitur, observatis diligenter cautionibus , & diorismis, præscribere. Obsecundantes ministros habeat necesse est, qui iussa ipsius exequantur, cibos parent, venas secent, plantas evellant, purgent, &c. Non qui medendi auctoritatem, pari inscitiâ ac impudentiâ arripiant. Nihil obstat tamen, quin vbi commodum videbitur, ad vilia ista Medicus ipse se demittat: vt sanè Imperatorem strenuè pugnare, ac gregarii militis officio fungi, nemo vnquam conquestus est, militem imperandi ius sibi arrogare, nemo vnquam patienter tulit.

VT Facultatum genus quoddam, Animæ proprium dicitur, & inter Facultates animales, præcipuè tales putantur, quæ Rectrices, Principes, ἡγεμονικαὶ nominantur, sic affectus earumdem pari iure animi proprii censeri debent, cùm in his non tam corporis vitium, quàm mentis obseruetur, mens-

que non perinde fuas exercere poffit actiones. Ac propterea animum ægrotare dicimus, vbi vel ratio, vel imaginatio, vel memoria oblæditur. A prava corporis conftitutione, quin iftud proficifcatur, nulla dubitatio eft, vt vice versâ nonnunquam fit, vt ab anima morbus in corpus transfundatur, & amore, mœrôréque, non minùs quàm atrophiâ contabefcat, aliáque patiatur corporeorum morborum confectaria. Habet vnaquæque functio fua vitia, quæ feorfim, aliis illæfis confiftere nihil vetat. Phantafiæ peculiaria funt Catalepfis, Vertigo, Ephialtes: Memoriæ, Oblivio, Torpor: Ratiocinationis, Dementia, Fatuitas, Delirium. Delirium fi cum febre, Phrenitis, aut Paraphrenitis: Si abfque febre, Mania, aut Melancholia. Melancholiæ pathognomonica, φόβος, δυσθυμίη, timor à colore nigro. Sed Melancholicorum ξενάς τινὰς καὶ πολυτρόπους φαντασίας quis fatis miretur? Cùm vel tuta timent, putà ne Cçlum ruat, feffo, & fatifcente Atlante; vel formidolofa nihil curant, ne mortem quidem, vel abfurda prorfus fibi perfuadent, fe teftas effe, gallos gallinaceos, lupos, ἀκεφάλους, veneno potionatos, à dæmonibus obfeffos, mortuos, &c. At idne etiam Medicina profitetur, vt vitia ifta emendet, & laboranti animo medeatur? Maximè verò, tametfi contumaces funt vtplurimum affectus hi, & verè Medicorum cruces. Hoc tentat primùm iifdem artibus, quibus corporeos affectus pellit, Diætâ, Chirurgiâ, Pharmaciâ. Non credo tamen effe vllum medicamentum, ne Homericum quidem Nepenthes, aut bugloffum, aut aurum (nullâ vnquam arte vel alimentum, vel medicamentũ futurum) quod difcutiendi mœroris, aut exhilarandi, vllum, quod folvendi aut conciliandi amoris facultate polleat. Vbi hæc vfitata parum proficiunt, quis neget ad alia divertendum effe, tametfi à communi medendi vfu, & methodi legibus remotiora. Sæpe fuavitate orationis & verborum efficaciâ, (apage fufurros magicos, characteres, imagines aftrologicas) blandiendo, pollicendo, minitando expugnata eft delirãdi pervicacia, ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι Valet etiam ad fedandos concitatiores animi motus Mufica, demulcendis ifchiadicorum doloribus, fanandifque viperarum, & phalangiorum ictibus, nequaquam inefficax. Denique in fumma defperatione, & obftinatiffimo mentis errore, nonnunquam fingularis quifpiam dolus profuit, & quafi ἰαμάγμα quoddam prudenter pro re nata excogitatum, ægrotantem è pręcipiti exitio revocavit.

Ergo vt Corporis, fic Animi morbis Medicina medetur.

Proponebat Lutetiæ, IOAN. BAPT. FERRAND, Andegavenfis, Anno R. S. H. M. DC. XXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Quiquebœuf.	*M. Francifcus Pijart.*	*M. Michael Toutain.*
M. Thomas Gamare.	*M. Petrus Girardet.*	*M. Robertus Le fecq.*
M. Antonius Charpentier.	*M. Antonius Robin.*	*M. Simo le Tellier, M. R.*